

NvK an den gesamten Klerus und alle Gläubigen der Stadt und Diözese Brixen. Er schildert ausführlich seine bisherigen Versuche, eine Reform des Klosters Sonnenburg durchzusetzen. Aufgrund der hartnäckigen Weigerung der Äbtissin Verena, die kürzlich von den visitierenden Äbten und Mönchen angeordneten Reformmaßnahmen anzunehmen und im Kloster Sonnenburg die Observanz und die Klausur einzuführen, sei er nun gezwungen, die lange angedrohten Strafen zu verhängen. Er verkündet daher die Absetzung und Exkommunikation der Äbtissin Verena und befiehlt den Adressaten, die Sentenz öffentlich bekannt zu machen. Den Sonnenburger Nonnen befiehlt er unter Androhung von Exkommunikation und Interdikt, sich von der ehemaligen Äbtissin fernzuhalten und ihr fortan den Gehorsam zu verweigern. Den Dienern, Untertanen und Zinsbauern der Abtei verbietet er unter Androhung der Exkommunikation und bei einer Strafe von 100 Mark Silber, in Zukunft der Abtei Abgaben zu entrichten sowie die Äbtissin in irgendeiner Form zu unterstützen. Die päpstliche Bulle vom 19. Oktober 1454, die Übereinkunft mit Hz. Sigismund vom 31. Dezember 1454 sowie das Absetzungsurteil sind wörtlich inseriert.

Or., Perg. (ovales S. des NvK; Notariatssignet des Heinrich Soitern; Wasserflecken): BOZEN, StA, U 686 (Lade 19 Nr. 12 G).

Deutsche Übersetzung (gleichzeitig): INNSBRUCK, TLA, Cod. 2336 p. 270-277 (unvollständig; Überschrift: Das ist der lang process, den der cardinal ze Sunburg anslug<sup>1</sup>).

Kopie (J. Resch, 18. Jb.): BRIXEN, Priesterseminar, Ms. E 14 p. 69-76.

Regest: Jäger, Regesten II 160f.

Erw.: Sinnacher, Beyträge VI 401; Jäger, Streit I 143; Vansteenberge, Le cardinal 149; Mutschlechner, Cusanus und Eleonore von Schottland, CGS 253; Baum, Nikolaus Cusanus in Tirol 181; Bertel/Sternbach, Nonnen 573; Knötig, Sonnenburg 36; Baum, in: Germania Benedictina III 3, 648; W. Pescosta, Geschichte der Dolomitenladiner, St. Martin in Thurn 2013, 138; Gelmi, Nicolaus von Kues und Brixen 32.

Nicolaus, miseracione divina tituli sancti Petri ad vincula sacrosancte Romane ecclesie presbyter cardinalis, episcopus Brixinensis, commissarius et executor unicus ad infrascripta a sede apostolica specialiter deputatus<sup>2</sup>), universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, scolasticis, thesaurariis, cantori-  
 5 bus, custodibus, sacristis, succentoribus, tam cathedralium quam collegiatarum canonicis parrochialiumque ecclesiarum rectoribus seu locatenentibus eorundem, plebanis, viceplebanis, cappellanis curatis et non curatis, vicariis perpetuis, altaristis ceterisque presbyteris, clericis, notariis et tabellionibus publicis et aliis christifidelibus cuiuscum-  
 que status, gradus, ordinis, condicionis aut preeminencie fuerint, utriusque sexus,  
 10 hominibus quibuscumque, per civitatem et diocesim nostras Brixinenses ubilibet constitutis salutem in domino et presentibus fidem indubium adhibere ac nostris huiusmodi ymoverius apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod dudum apostolice legacionis, qua tunc per Alamanie partes fungebamur auctoritate<sup>3</sup>), ac exinde eciam specialis facultatis nobis per bone memorie domi-  
 15 num Nicolaum papam quintum desuper facte<sup>4</sup>) post varios labores et mandata diversa

<sup>1</sup>) NvK ließ den Brief am 20. Juni in Sonnenburg anschlagen; INNSBRUCK, TLA, Cod. 2336 p. 264; s. künftig AC II 4 zu diesem Datum.

<sup>2</sup>) S.o. Nr. 3417 (1453 Mai 12).

<sup>3</sup>) S.o. Nr. 2535 (1452 Mai 2).

<sup>4</sup>) Nr. 3417.

pro reformatione monasterii sanctimonialium in Sunnemburg ordinis sancti Benedicti prefate nostre diocesis per nos et a nobis facta ac postquam eciam domina Verena tunc dicti monasterii abbatissa sui et conventus ipsius monasterii nomine, ut reformationem ipsam fugeret et impediret, ad prefatum tunc dominum Nicolaum papam et apostolicam sedem appellasse pretendebat<sup>5)</sup>, idem tunc dominus Nicolaus papa quas- 20 dam alias patentes litteras eius vera bulla plumbea plumbatas, sanas et integras, non viciatas, non cancellatas, non abrasas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes nobis presentari fecit, quas reverenter, ut decuit, recepimus, per quas eciam nobis inter alia commisit et mandavit in hec verba: (*Es folgt als Insert Nr. 4136 von 1453 Oktober 19*).

Post quarumquidem litterarum apostolicarum presentacionem et recepcionem nobis 25 et per nos, ut premittitur, factas decreto per nos earundem preinsertarum litterarum vigore monitorio<sup>6)</sup>, per quod eciam eandem Verenam, quatenus sponte reformationi per nos faciende iuxta preinsertarum litterarum apostolicarum formam se submitteret et regulam sancti Benedicti cum declaracionibus suis in iure positis atque clausuram iuxta capitulum ‚Periculoso‘<sup>7)</sup> se efficaciter observaturam declararet et sub debitis per 30 nos adiciendis cautelis obligaret et promitteret nosque de hoc eciam infra certum tunc expressum terminum per eius procuratores legitime certificaret sub deposicionis a sua abbatissali dignitate et excommunicacionis late sentencie ac interdicti ecclesiastici in dictum monasterium penis monuimus seu moneri et requiri fecimus ac huiusmodi monitorio in personam eiusdem Verene debite executata fuit, per illustrem principem 35 dominum Sigismundum Austrie etc. ducem ante lapsum termini in dicto monitorio descripti pro bono quietis et, ut in prefato monasterio reformatio ipsa commodius introduci et observari posset, ordinatum<sup>8)</sup> et de eiusdem Verene et ipsius conventus expresso consensu amicorum suorum conclusum, quod terminus ille in dicto monito- 40 rio assignatus ad diem alium prorogabatur, infra quem diem ipsi Verene tunc abbatisse liberum erat disponere eciam aliqui abbates vel monachi dicti ordinis, quales desideraret, qui de observancia fuissent et in ea per unum annum vel amplius perstetissent. Ad nos ante sic prorogatam diem Brixinam venirent, ubi et duo monachi, qui antea in dicto monasterio circa prius ibidem factam visitacionem fuerant, eciam adessent.<sup>9)</sup> Et 45 quitquid illi abbates et monachi consilii dederint, id nos observari mandare deberemus, debueritque illud per prefatam Verenam tunc abbatissam, ipsius conventum et succedentes observari sub penis antedictis in predicto monitorio contentis absque impedimento cuiuscumque eciam dicte Verene amicorum, prout hec et alia, quibus prefati domini ducis secreto sigillatis et in vlgari almanico conscriptis litteris continentur, quorum tenor sequitur talis: (*Es folgt als Insert Nr. 4193 von 1454 Dezember 31*). 50

---

<sup>5)</sup> S.o. Nr. 4043 und 4093.

<sup>6)</sup> S.o. Nr. 4164 (1454 Dezember 3).

<sup>7)</sup> VI 3.16.1, ed. Friedberg II 1058.

<sup>8)</sup> S.o. Nr. 4193 (1454 Dezember 31).

<sup>9)</sup> Nämlich die Tegernseer Mönche Bernhard von Waging und Eberhard von Wolfratshausen. S.o. Nr. 3739 Anm. 3.

Harum igitur preinsertarum ordinationis et conclusionis dicti domini ducis litterarum pretexto ad prefate eciam Verene tunc abbatisse et ipsius conventus vocacionem venerunt ad nos in civitate nostra Brixinensi venerabiles patres et religiosi viri Petrus sancti Petri Salczeburgensis, Eckhardus in Ebersperg, Symon in Etal et Johannes in  
55 Weyhenstefen abbates<sup>10)</sup> et, qui ad dictam priorem visitacionem dicti monasterii affuerunt, Bernhardus prior et Eberhardus celerarius in Tegernsee monasteriorum Frisingensis diocesis dicti ordinis sancti Benedicti, qui omnes unanimiter habita prius tam a nobis quam dictis tunc abbatisa et conventu certitudine<sup>11)</sup>, quod eorum consiliis hincinde acquiesceremus iuxta ordinationis et conclusionis litteras preinsertas, post-  
60 quam dictum monasterium ipsiusque situm et in eo degencium vitam conspexerant, matura deliberacione prehabita tam nobis ad manus nostras quam dictis tunc abbatisse et eius conventui ad manus nobilium et discretorum virorum Conradi Stuber et Georgii Ragant<sup>12)</sup>, ipsorum tunc abbatisse et conventus assertis procuratoribus et nunciis, die martii quarta mensis marcii Brixine in curia nostre solite residencie ipsorum consi-  
65 lium, quo ad reformacionem in dicto monasterio faciendam et continuandam, propriis eorundem eciam abbatum quatuor subimpressis sigillis sigillatum et in quadam pergamena carta conscriptum facto et realiter tradiderunt atque assignarunt.<sup>13)</sup>

Post hec vero pluribus diebus elapsis volentes prefatorum abbatum et monachorum huius circa faciendam et continuandam in memorato monasterio reformacionem  
70 datum consilium execucioni demandare atque mandato apostolico preinserto nobis ut premittitur facto, in quantum in nobis erat satisfacere, cupientes eciam prenominatam Verenam tunc abbatissam per nostras certi tenoris litteras contra eam decretas<sup>14)</sup>, ut infra certum in eisdem litteris expressum terminum, videlicet quindecim dierum spacium, reformacionem et observanciam prefate regule sancti Benedicti per eam  
75 professe, modo quo in dicto consilio ipsorum abbatum et monachorum, quod de verbo ad verbum litteris nostris inserebatur et plenius continetur, observaret et secundum hoc viveret realiter et cum effectu in omnibus et singulis articulis et punctis in eodem consilio descriptis, eciam ipsam tunc abbatissam concernentibus; dummodo tamen articuli sive puncta huiusmodi tales aut talia fuerint, quod in eis descripta infra  
80 terminum huiusmodi quindecim dierum fieri, teneri sive observari possent, alia autem in huiusmodi consilio contenta, que infra dictum expressum terminum comode fieri seu perfici non possent, ut ea omnia et singula, quantocius fieri possit, diligenter eciam perficeret et fieri procuraret cum effectu ac nos in termino ipso, videlicet quintodecimo die eciam ei assignato, per suos legitimos ad hoc eciam ab ea constitutos procu-  
85 ratores ac alios legitime et debite certificaret se reformacionem secundum antedicti

---

51 ordinationis: *em.* ordinationem. | conclusionis: *em.* conclusionem. 62 nobilium – discretorum: *em.* nobilis et discreti.

---

<sup>10)</sup> *Zu den genannten Äbten s.o. Nr. 4232.*

<sup>11)</sup> *S.o. Nr. 4232.*

<sup>12)</sup> *Konrad von Stuben, Bruder der Äbtissin, und Jörg Ragant, Richter zu Sonnenburg; s.o. Nr. 4273 Z. 40-42.*

<sup>13)</sup> *S.o. Nr. 4248 (1455 März 4).*

<sup>14)</sup> *S.o. Nr. 4273 (1455 März 21).*

ipsorum abbatum et monachorum consilii continenciam in omnibus et singulis suis punctis et articulis, prout eciam concerneret seu concernere videretur realiter accep-  
tasse et observanciam dicte regule atque clausuram effectualiter subiisse et ex post  
observare velle omniaque alia eciam eandem tunc abbatissam concernencia in dicto  
sepe consilio contenta, que tractu temporis fieri necesse erit, eciam quantocius faceret 90  
et diligenter adimpleret sub excommunicacionis et interdicti ecclesiastici in ipsius  
monasterium late sentencie ac privacionis sue abbatissalis dignitatis penis: per certum  
presbyterum ad hoc deputatum coram notario et testibus moneri fecimus et mandavi-  
mus.<sup>15)</sup>

Ipsa tamen Verena tunc abbatissa huiusmodi contra eam decreto et executo monito- 95  
rio minime satisfacere neque nos iuxta continenciam monitorii huiusmodi per procu-  
ratores suos legitimos ac alias debite in termino prefato certificare curavit; sicque nos  
eandem Verenam tunc abbatissam reputavimus merito, prout erat, ad actum et termi-  
num huiusmodi id exigente iusticia contumacem et in ipsius contumaciam ulterius  
contra eandem Verenam usque ad declaracionem penarum prescriptarum proceden- 100  
dum fore decrevimus.

Sicque post aliquorum dierum spacium prefatam Verenam per alias nostras certi  
tenoris litteras contra eam decretas iterato et ex superhabundanti moneri fecimus et  
requiri<sup>16)</sup> per notarium publicum super hoc specialiter requisitum<sup>17)</sup>, quatenus ipsa  
infra certum alium tunc litteris illis monitorialibus expressum terminum observanciam 105  
dicte regule sancti Benedicti iuxta prefatorum dominorum abbatum et monachorum  
consilium prelibatum sponte subiret, observaret et se efficaciter observaturam promit-  
teret atque nos de hiis in termino ad hoc sibi statuto per suos legitimos procuratores et  
autentica documenta<sup>18)</sup> certificaret sub privacionis tunc sue abbatissalis dignitatis  
regiminisque et administracionis dicti monasterii late sentencie pena. 110

Et nichilominus eciam eandem Verenam, ut certo alio die ex tunc sequenti coram  
nobis per procuratorem eius ydoneum compareret ad videndum et audiendum se dicte  
sue abbatissalis dignitatis regiminisque et administracionis monasterii antedicti privaci-  
onis et excommunicacionis sentencie penam incidisse declarari ac a dignitate et regi- 115  
mine sive administracione prefati monasterii amoveri, privatam et ammotam ac  
excommunicatam pronunciarum litterasque desuper oportunis in forma solita et consu-  
eta decerni et concedi vel dicendum et causas, si quas habuerit, rationabiles, cur hec  
fieri non debeant allegandum, peremptorie citari mandavimus et fecimus per quendam  
presbyterum ad hoc per nos specialiter deputatum.<sup>19)</sup>

Nichilominus dicta Verena eciam huiusmodi ultimo monitorio minime parere neque 120  
in termino comparicionis sibi assignate eciam per procuratorem eius ydoneum coram  
nobis comparere curavit. Quare nos eandem Verenam tunc abbatissam reputavimus

---

<sup>15)</sup> *Nämlich durch den Pfarrer Michael von St. Lorenzen und den Notar Georg Sewml. S.o. Nr. 4270, 4273 (1455 März 21).*

<sup>16)</sup> *S.o. Nr. 4297 (1455 April 9).*

<sup>17)</sup> *Nämlich Georg Sewml; s.o. Nr. 4298.*

<sup>18)</sup> *Vgl. den Entwurf einer solchen Erklärung Nr. 4314.*

<sup>19)</sup> *Wohl der Pfarrer von St. Lorenzen; die Zitation ist in der Überlieferung des Falles sonst nicht erwähnt.*

merito, prout erat, quo ad actum et terminum huiusmodi id exigente iusticia contumacem. Et licet eo tunc ad declaracionem penarum predictarum procedere potuissemus, ad ipsius tamen Verene omnem maliciam convincendam huiusmodi terminum illis modo et forma, quibus prius dicte Verene assignatus fuerat, eidem Verene, licet per contumaciam absenti, per aliquot dies posteriores et in diem aliam continuavimus, qua eciam die adveniente, cum antedicta Verena eciam tunc ne(c) per procuratorem suum ydoneum comparuisset, licet tamen sufficienter expectata fuisset, reputavimus iterato eandem quo ad actum et terminum huiusmodi id iusticia exigente contumacem; et ex superhabundanti terminum huiusmodi eciam eisdem modo et forma, quibus prius dicte Verene assignatus et prorogatus fuerat, sibi ulterius, licet per contumaciam absenti, eciam per aliquot dies posteriores et in diem aliam iterato continuavimus, atque eciam eandem Verenam adhuc ad cor reducere possemus, sibi per proprios nostros nuncios sollemnes coram eciam notario publico continuacionem terminorum huiusmodi ac alia diversa adhuc, ut eadem Verena ad cor rediret, dici, intimari et exponi fecimus<sup>20)</sup>, ut nichilominus tamen termino sic prorogato adveniente Verena ipsa in termino huiusmodi minime nec per perocuratorem suum ydoneum coram nobis comparere curavit.

Nos autem omni mansuetudine ac pietate circa eam uti volentes, ut tandem extremam eiusdem Verene maliciam vincere possemus, terminum sic ultime continuatum huiusmodi eciam in alium tempus, ad diem videlicet et horam infrascriptos eidem Verene tunc abbatisse, licet per contumaciam absenti, eisdem modo et forma, quibus antea sibi assignatus et continuatus fuerat, peremptorie et ex superhabundanti, ac ultima continuacione continuavimus.<sup>21)</sup> Quo termino ultimo assignato et continuato adveniente et dicta Verena tunc abbatissa eciam nec per ipsius legitimum procuratorem coram nobis comparente, reputavimus eandem merito, prout erat, quo ad actum et terminum huiusmodi id exigente iusticia contumacem. Et in ipsius contumaciam visis per nos primitus et diligenter inspectis omnibus et singulis huiusmodi cause actis et acitatis iuribusque et munimentis in eadem habitis et factis ac eis debite et mature recensitis de iurisperitorum consilio et consensu, quibus de huiusmodi cause meritis relacionem plenariam fecimus, et fidelem ad nostram in huiusmodi causa ferendam sententiam sive ordinacionem procedendam duximus et processimus. Eam, que per ea, que vidimus et cognovimus ac de presenti videmus et cognoscimus, in scriptis tulimus et promulgavimus ac ferimus et promulgamus in hunc, qui sequitur, modum:

„Per hanc nostram sententiam, quam pro tribunali sedentes et solum deum pre oculis habentes ferimus, in hiis scriptis pronunciamus, decernimus et declaramus prefatam Verenam Stuberin assertam abbatissam monasterii sanctimonialium beate Marie virginis in Sunnemburg ordinis sancti Benedicti nostre diocesis, ex et pro eo, quod litteris monitorialibus contra eam, ut sub excommunicacionis et privacionis sue dignitatis abbatissalis latarum sententiarum penis regularem observanciam ac clausuram iuxta datum consilium quorundam venerabilium abbatum et monachorum dicti

<sup>20)</sup> *S.a.* Nr. 4313 (1455 April 22).

<sup>21)</sup> *S.a.* Nr. 4323 (1455 April 29).

ordinis, quorum consiliis eadem Verena stare velle se sponte prius promiserat, subiret et diligenter, ut factibile esset, servaret.<sup>22)</sup> Nosque infra certum tunc ee prefixum iamque dudum elapsum terminum se reformationem secundum dictum consilium 165 realiter acceptasse et eandem reformationem eciam deinceps velle observare legitime certificaret, per nos apostolica auctoritate et ex officio nostro decretis et executis non paruit, excommunicacionis et privacionis huiusmodi abbatissalis dignitatis destitucionisque a regimine et administracione dicti monasterii in Sunnenburg sentencias et penas incidisse et incurrisse ipsamque Verenam sic excommunicatam, privatam et 170 destitutam publice denunciandam atque a cunctis christifidelibus arcius evitandam excommunicamusque, privamus, destituimus et denunciamus denunciarique et evitari mandamus, eandem ac omnes et singulas moniales, officiales, servitores et ministeriales antedicti monasterii ab eiusdem Verene obediencia, subiectione et fidelitatis prestito forsitan iuramento absolvendos fore et absolvimus potestate tamen eandem 175 Verenam ad pristinum statum restituendi, si id, antequam de dicto monasterio et ipsius abbatissalis dignitatis provisum fuerit, ipsa meruerit, nobis reservata. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.“

Que omnia et singula vobis universis et singulis supradictis et cuilibet vestrum intimamus, insinuamus et notificamus ac ad vestram et cuiuslibet vestrum noticiam 180 deducimus et deduci volumus per presentes vobisque nichilominus ecclesiasticis personis quibuscumque et cuilibet vestrum in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis sentencie pena, quam in hiis scriptis ferimus districte precipientes mandamus, quatenus, postquam vigore presencium fueritis requisiti, predicta omnia et singula infra divinorum sollemnia ac alias coram populi multitudine fideliter intimetis 185 eandem Verenam olim abbatissam sic privatam et excommunicatam denunciatis et evitetis et ab omnibus christifidelibus arcius evitari faciatis, donec et quousque absolutionis beneficium meruerit obtinere. Ac insuper vobis dicti monasterii in Sunnenburg monialibus sub dicta excommunicacionis sentencie pena districte precipimus et in virtute sancte obediencie mandamus, ne de cetero dicte Verene olim abbatisse ut 190 abbatisse obediat aut sibi ut tali reverenciam et honorem exhibeatis, sed eam, donec sic excommunicata fuerit, in divinis officiis ac alias evitetis et evitari faciatis.

Vobis vero aliis eiusdem monasterii in Sunnenburg ministerialibus, officialibus, reddituariis, censuariis et servitoribus ac aliis quibuscumque, cuiuscumque status, gradus, dignitatis aut preeminencie fueritis, sub dicta excommunicacionis pena ac in 195 vestras ecclesias, capitula, monasteria et capellas interdicti ecclesiastici late sentencie ac centum marcharum argenti pro una apostolice camere et alia medietatibus fabrice ecclesie nostre Brixinensis applicandarum penis districte precipimus et mandamus, ne de cetero dicte Verene olim abbatisse uti et quam prefati monasterii abbatisse in quibuscumque rebus seu factis obediat, pareatis aut intendatis seu respondeatis aut 200 obedire, parere seu intendere sive respondere faciatis neque ipsam in suis perversitati-

---

164 ee: *em. ei.*

<sup>22)</sup> *S.o.* Nr. 4232 (1455 Februar 17).

bus defendatis aut sibi auxilium, consilium verbo aut facto in perversitatibus suis huiusmodi prestetis aut sibi uti abbatisse honorem exhibeatis directe vel indirecte quovisquesito ingenio vel colore per vos vel submissam personam. Alioquin, si pre-  
205 missa omnia et singula, prout supra narrantur ac ad vos et quemlibet vestrum perti-  
nent, non adimpleveritis mandatisque nostris huiusmodi ymmoverius apostolicis  
eciam non parueritis cum effectum, nos ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc  
in vos et vestrum quemlibet ac generaliter in contradictores quoslibet et rebelles  
excommunicacionis, in ecclesias vero, capitula, monasteria ac capellas interdicti ecclesi-  
210 astici huiusmodi sentencias et penas alias ferimus in hiis scriptis et eciam promulga-  
mus. Absolucionem vero omnium et singulorum, qui prefatas nostras sentencias incur-  
rerint, quoque nobis et superiori nostro tantummodo reservamus.

Lecta, lata et in scriptis promulgata fuit hec preinserta nostra sententia sive ordina-  
cio per nos, Nicolaum cardinalem, episcopum, commissarium et executorem prefa-  
215 tum, Brixine in curia episcopali nostre residencie hora vesperorum et causarum consu-  
eta, nobis inibi ad iura reddendum pro tribunali sedentes, sub anno a nativitate domini  
millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, indictione tertia, die vero mercu-  
rii, ultima mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri  
domini Calisti divina providencia pape tercii anno primo; presentibus ibidem circum-  
220 spectis et honorabilibus viris dominis Henrico Pomert<sup>23)</sup>, Bremensis et sancte crucis  
Hildesemensis ecclesiarum canonico, hospitalario in Sunnemburg, dyacono, et Petro  
Wymari de Ercklencz<sup>24)</sup>, plebano in Prucz, Brixinensis diocesis, subdyacono, testimus,  
ad premissa vocatis specialiter et rogatis. In quorum omnium et singulorum fidem et  
testimonium premissorum presentes nostras litteras sive presentis publicacionis instru-  
225 mentum nostram sententiam sive ordinationem ac mandatum huiusmodi in se conti-  
nentes sive continentem exinde fieri et per notarios publicos nostrosque et huiusmodi  
cause coram nobis scribas infrascriptos subscribi et publicari nostrique sigilli iussimus  
et fecimus appensione muniri.

230 *Notarielle Ausfertigung durch:* Henricus Soitern<sup>25)</sup>, presbyter Treverensis diocesis, publicus apostolica  
auctoritate notarius.

---

207 eciam: *folgt nochmals* eciam.

---

<sup>23)</sup> *Heinrich Pomert, Sekretär des NvK.*

<sup>24)</sup> *Peter von Erkelencz, Sekretär des NvK.*

<sup>25)</sup> *Heinrich Soitern, Sekretär des NvK.*